

III.
REGNUM MORTUORUM.

Nro. 7.

Politica Mortuorum Colloquia.

Elysium-Meum.-Die Martis 14. Feb. 1809. (Neov. 27. Jan. 1809)

Elogium stultitiæ
non Erasmi
sed — Meum.

Oratio Panegyrica de Stultitiâ.

Esto laus, & honor *Erasmio Rotterodamo*, qui comæ suis *Encomium Moriaë*, seu Stultitiæ scripsit. Mundus, ait proverbium, mortrophium est. Quivis in eo suam Stultitiâ exatiare conatur: Verum isthoc œstrum ejus explendæ quavis ætate variat, & pro temporum diversitate argumentum quoque stultitiæ varium est. Agite! in Campis Elysiis Panegyricum stultitiæ hujus ætatis adplicemus.

Definio Stultitiâ, quam laudandam suscipio, quod sit: constanter dominans desiderium, rei, aut ardor res sectandi, quæ adjunctorum nostrorum rationi ignotæ sunt. Ita dantur stulti in libris, circa cultum, vestitum, Theatram, feminas, & alii id genus stulti plures.

Omnia naturæ opera præclara sunt; ea per immutabilem corporum motum vitæ speciem exhibet, quam quotidie cernimus, verum animadvertere non videmur: Ejus inva-



riabiles leges idem continenter operantur: Homo solum nititur in iis per gustum suum, per affectus suos mutationem consequi. Hic equis gaudet, illum venatus delectat, alius mentem pictoria distinet, multis æsthetice Parnassum conscendere volunt: sunt alii, qui prosaice vitam in terris agere malunt: Quisvis propensionem animi ad quampiam rem indicat, eamque certa pertinacia persequitur usque singularitatem, quæ sæpe numero adpellatione Stultitiæ digna est.

Nonnunquam archæologicus stultus vestitis membranis involutus conspicitur; omnes ideas iis affixas habet, & huic delirio nonnullum rarum Manuscriptum, quædam memorabilia ad historiam additamenta, aliqua utilia documenta in acceptis referenda habemus.

Alochymista stultitiam suam prosequitur ad detegendum lapidem philosophicum; destillat, solutiones instituit, coquit, ustiones peragit, liquefactiones adornat, diversarumque proprietatum res in capella sua commiscet: non invenit quidem, quod quærit, at reperit alia resultata, quæ chemia recipit, & in usum convertit: quot, quæso, detectiones in Chemia Alochymistiæ stultitiæ non debentur? hæ solum eam ex infantia protraxerunt.

Physicus experimenta facit, habet eam insaniam, ut cursum naturæ, imo creationis exploret, quodvis naturæ phenomenon eum attentam reddit, causas eorum inquirit, fortuito in disquirendo resultatum inopine detegit, quo ad uberiores detectiones traducitur.

Omnes hæ propensiones, & sciendi cupiditates in genere scientiarum in vesaniam nonnunquam desinunt quidem, verum, hæ insanix utilissimarum detectionum occasio erant. Typographia, pulvis pyrius, machinæ bellicæ, & solopi, Vaccinatio, telescopia, ars horologaria, diversæ machinæ ad compendium operarum intensis scientificis investigationibus ad vesaniam interdum degenerantibus tribuendæ sunt, quæ profecto pangiri dignæ.

Verum dantur aliæ id genus contentiones, quæ ceu inutiles, seu noxæ, videlicet ridiculæ stultitiæ reputari possunt; tales sunt, quæ in laudando, vel vituperando exaggeratis expressionibus utuntur; hi omnia cœlestia, & diabolice fœda reputant, ii, qui cultum & vestiendi rationem præ communi munditie efferunt, qui de omnibus, seu bonum seu malum sit, iudicium depromunt, qui in voluptatibus valetudinem facultatesque amittunt, qui officia sua negligunt, ut hilaribus se dedant, qui sanctissima jura ambigua promulgant, denique ii, qui alienis potius, quam suis negotiis se distringunt — *omnis homo mendax*, quisque tuos, (ita fert adagium,) patitur manes.

Datur & aliud Insanix genus *Anglomania* nomine veniens, quæ constantem libidinem in merces Anglicanas, & mores indicat. Hodie hæo continente proscripta est. Stulti Coffeacei, quibus necessitas continentix legem dicat, hæo nomine venire nequeunt.

Hæc Anglomania præsentis belli causa est. Hispani ea correpti sunt & quousque ea pervenerunt? seqv. docent:

Parisiis die 21. Jan. XXVIII. Nuncium publicum Exercitus in Hispania.

Valis leto 13. Jan., Prædæ hostilis pars in manus copiarum nostrarum delata ad millionem 8000 Franc. efficit; Incolæ asseverant: Anglos 8—10 milliones aspertasse, Anglicus Dux fieri non posse ratus, ut copia Gallicæ pedestres, resque tormentaria eum persequeretur, eumque aliquot itineribus antecollat in molesto præsertim montium transitu, quales Gallæcii sunt: existimans itaque velites solum, equitesque eum insequi posse, stationem ad *Castro* defixit, dextram copiarum alam Tambojæ adjiciens, quæ Lucum urbem præterluit, trajectu destituta. Dux Dalmatiæ die 6 in conspectum hostis venit; 7. & 8. perspeculationi datæ, peditatui, rei que tormentariæ, quæ remanserat, recipiendæ; Rationes adornans adgressionis comperit lævam solum alam adgressionis capacem, adversus aciem direxit; ejus dispositiones motiones quasdam deposcebat, quoniam Dux Dalmatiæ consilium habuit, sequente luce utpote 9. adoriendi. Hostis contra, quem molimina isthæc non effugere, sub nocte receptum in effectum deduxit, sequenteque diluculo anterius agmen nostrum Lucum ingressum; hostis in Nosocomiis Anglos ægros, tormentariæ rei adparatum, 80 tormenta, 300 currus com meatum vehentes reliquit. Urbis; &

territorium cadaveribus Anglicanorum equorum oppletum est; 2500 Equi æstimari possunt, quos Angli recessu suo peremere; anni tempus fœdum est, nives decidunt, & pluit indesinenter. Angli Corona potiri velocissime adlaboravere, ubi 400 naves transvectricæ eos opperiantur; commeatus eorum impedimenta, ipsius rei tormentariæ pars, cum 3000 captivis jam ab iis amissa est; die 10. exercitus noster prope Corunnam ad Betancium constitit. Dux Elchingen sua cum cohorte ad Luoum moratur. Si ægrorum, errantium, a Colonis cæsorum, & a copiis nostris comprehensorum calculus ineatur, tuto Anglicani exercitus tertia pars amissa censeretur potest; ad 18000 decreverunt, necdum navibus impositi. Ex urbe Sahagun receptum 150 horarum intempesta via & intra montes pedites conficiendum habuerunt; Reditus insania vix mente concipi potest; hoc malum eorum Generali Duci, qui prudens & exactus est, adscribi nequit, verum indolii odii & furoris attribuendum, quo Anglicanum Ministerium animatum, ut hac ratione 30000 armatos expediat, ad eos atterendos, aut eos ad ea adjuncta perducendos ut fuga salutem quærant; hanc cogitationem cœci solum affectus, & infrunita ruditas supeditare valet. Anglicano regimini par mendaci insana est conditio, postremo credit ipsam & suis ipsum cassibus capitur. Urbs *Lucus Augusti* ab hoste expilata & devastata est, hæc calamitas (quod iterum dicit), ne-

quaquam supremo Anglorum Duci, tribuenda est; hæc usitata & inevitabilis sequela accelerati & properi receptus.

Incolæ Legionis & Gallæciæ odio habent abominanturque Anglos: ex hoc capite quæ ad usque acciderunt, grandis victoriæ loco æstimanda sunt; Urbs Zamora, in qua præsentis Angli incolarum animos accenderant, equestri legioni Maupetit januas clausit, Dux Daricau cum quaternis comparuit agminibus assultu urbem cepit, maxima reos supplicio affecit. Inter omnes Hispaniæ provinciæ Gallæcia optime Gallis affecta est, eos seu redemptores suos ab hospitibus invisit excipit, & Episcopus Anarchia Lucensis & universus Clerus sapientissimam cogitandi rationem prodit.

Vallisoletum Josepho Jusjurandum nuncupavit. Epistola publico advoluta nuncio ad Imperatorem. Sex principii seditionis & tragicorum eventorum adversus Gallos, mortis damnati, quinque extremo supplicio additi, Clerus pro sexto gratiam petebat 4 prolium patre, poenam mitigabat Imperator, declarans: hoc argumento agendi rationi Cleri sæcularis Valisoletani in diversis gravibus occasionibus acquiescere se, testari velle."

Ex aliis Statibus publicæ paginae hæc porro annunciant:

Vesilia die 20. Jan. Praefectus urbis hoc Edictum promulgavit: Populares mei! Ex

quo divina gratia tristibus Inundationis sequelis liberi existimus, ea funestissimas devastationes in vicina nobis regione patavit, Grierhusa, et Obermörtera vix devastationem evasit. Exiguus Districtus Brienen de integro desolatus est. Copia pecoris mersa et abducta fatalibus undis, multae familiae ad praesens evanuerunt, 5 personae absque ratione ferendae opis furenti unda absorptae, proles, matres, senes turmatim horreis continentur, cibo, veste, domo destituti; horret animus ad Tragicum hoc spectaculum miserorum popularium nostrorum! Verum commiseratio genuina factis probatur, et Veseliensium nota est beneficentia. Quare Concives meos ad edendum probatae suae virtutis specimen invito, memores illius: *Qui cito dat, bis dat* properato opus est, ut beneficio fructus respondeat. Veseliae 19. Jan. 1809. Praefectus *Westermann*.

Amstelodamo die 18. Ian. Vigore Decreti Regii novus Codex Criminalis a die 31. hujus auctoritatem fori habiturus, praevie nihilominus in ditionibus Europaeis, hujus regni. — De Classicula Batava in Hispania nunciatum est: eam exacta discursione secundum oram inter Bilbao et S. Andream die 15. Dec. memoratam urbem subiisse: unde sequente die iter Madritum ingrediendum habuit.

Varsoviae die 9. Ian. Hesterno absolutis Divinis sua Majestas Regia hujati societati amicorum scientiarum aditum ad se indul- sit. Praeses ejus Reverend. Stasié oratione praeibat, porrigebatque duo numismata alterum aureum, argenteum alterum, an- nalesque Societatis. Rex polonico idioma- te respondebat. Cum voluptate Societati argumentum mei Cultus dedi, lubensque hoc monumentum suae in me cogitandi ra- tionis percipio.

Ex Urbe Niesmet de 14. hujns. „Omnes Borussi Captivi in hac urbe morati ea jam excesserunt. Postrema cohors nudius ter- tius loco movit. Jure merito praeclaris his viris laus tribuenda: toto commoratoris suae tempore nostra regione eam agendi ra- tionem prae se tulisse, qua cultum et fidu- ciam incolarum sibi conciliaverunt, in omni oeconomiae rusticae aequae ac urbano ope- re, cui adhibere eos placuit, utilem operam navarunt, semperque solertes, fideles, do- cilesque homines se praestiterunt. Disceden- tes bene vestiti, pecuniisque plerique pro- visi erant; sequela industriae et eorum par- simoniae.“